C VIRES. EX DIOSCORIDE.

Refrigerandi uim obtinet. Folia eius per ſe & cũ polenta illita, ſtomacho ęſtuanti, oculorum inflammationibus, ſedisq; procidentijs auxiliantur. Præterea id quod in flore purpureum eſt cum aqua potum, angina correptis, & puerorum comitialibus mederi affirmant.

EX GALENO.

Folia per ſe, aut cum polenta illita, calidas phlegmonas mitigant. Imponunt & ori uentriculi æſtuanti, & oculis.

EX PLINIO.

Purpureæ uiolæ refrigerant. Contra inflammationes illinuntur ſtomacho ardenti. Imponuntur & capiti in fronte. Oculorũ priuatim epiphoris, & ſede procidente, uuluáue. Et contra ſuppurationes. Crapulam & grauedines capitis impoſitis coronis olfactúue diſcutiunt. Anginas ex aqua potę. Id quod purpureum eſt ex ijs comitialibus medetur, maxime pueris, in aqua potum. Semen ſcorpionibus aduerſatur.

EX SYMEONE SETHI.

Proſunt ad inteſtinorum dolores, cor uero offendunt. Dolores capitis qui fiunt à flaua bile ſopiunt potæ & odoratæ. Ventriculũ irritant, & flauã in eo inuentam bilem. Caput ſiccum humectant, calidumq; refrigerant ſuo odoratu. Somnum inducunt. Humida capita deſtillationibus obnoxia reddunt.

DE VIOLA MATRONALI▸ CAP▸ CXVII▸

NOMINA.

D VEteribus Græcis & Latinis cognitæ fuerint nec ne Violæ quæ hodie, quod eas matronę colere ſoleant, matronales uocantur, nondum compertum habemus. Quare uulgari & uſitato nomine, donec rectius inuentũ fuerit, utemur. Germanicè, quod raræ adhuc in Germania dum iſta ſcriberemus fuerint, welſch Veiel appellare uoluimus, ut nimirum hac nomenclatura à Leucoijs, de quibus ſuo dicemus loco, ſegregaremus. Poſſent etiam haud inepte Frawenveiel/ad imitationem latini nominis appellari.

GENERA.

Tria Violarum matronalium damus genera. Primi enim generis candida eſt, alterius punicea, tertij purpurea: nec differre admodum niſi ſolis floribus uidentur.

FORMA.

Fruticoſa eſt herba, cubitali altitudine, ramoſa, caule & folijs lanuginoſis, oblongis, anguſtis, mollibus ac caneſcentibus, floribus aut albis, aut puniceis, aut purpureis quadrifolijs, ſemine in oblongis ſiliquis lato ac tenui, radice longa, lignoſa, ſubrufa & acri.

LOCVS.

In hortis & cultis locis proueniunt.

TEMPVS.

Iulio & Auguſto menſibus florent.

TEMPERAMENTVM.

Admodum calidas eſſe ſapor foliorum & radicis, qui acris eſt, abunde docet. Humiditatem autem multã, Galeno lib. 4. cap. 18. de ſimpli. medi. facul. teſte, eo quod amaræ non ſint, admiſtam habent.

VIRES.

Incidendi & digerendi per halitum uim obtinent. Ideoq; radix aut folia decocta in aqua, cõuulſis, difficultate ſpirandi laborantibus, & ueteri tuſſi auxiliantur. Vrinam & menſes ducunt, ſudoresq; ciendi facultatem habent.

DE IRIDE.

VIOLA
MATRONALIS ALBA